

per alium catholicum antistitem gratiam et communionem dicte sedis habentem impendi facies et procures, volumus autem quod tu vel idem antistes qui ipsi persone prefatum munus impendet postquam sibi illud impenderis seu impenderit ab eo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam ac formam iuramenti quod dicta persona prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas quantocius destinare procures seu procuret quodque per hoc archiepiscopo Magdeburgensi pro tempore existenti cui monasterium ipsum ordinario iure subesse dinoscitur nullum imposterum preiudicium generetur.

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo nono quinto Idus Decembris pontificatus nostri anno tertio.

Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster - Bergische Stiftung 82. Abschrift im Weissen Buche S. 118—120.

Calbe, 1450, April 24.

293.

Friedrich, Erzbischof von Magdeburg, bestätigt den Conventualen des Klosters S. Thomae zu Bursfelde Hermann zum Abt des Klosters Berge.

Fredericus dei et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Magdeburgensis Germaniæ primas venerabilibus et religiosis viris fratri Hermanno Mollitori monacho monasterii sancti Thomae ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis ac priori seniori totique conventui monasterii sancti Iohannis baptiste in Berga extra muros Magdeburgenses eiusdem ordinis salutem in domino. Pridem videlicet de mense Augusti proxime preterito abbatia eiusdem monasterii sancti Iohannis per obitum quondam Hinrici Mosekow extra Romanam curiam defuncti vacante conventus eiusdem monasterii ad hoc ut dicebatur congregatus religiosum virum fratrem Bertoldum Meyger monachum monasterii sancti Egidii Brunsvicensis eiusdem ordinis Halberstadensis diocesis elegerunt in abbatem, petens una secum electionem suam huiusmodi per nos confirmari. Nos vero recepto decreto electionis huiusmodi nobis presentato et diligenter examinato servatisque in talibus servandis electionem ipsam tamquam minus canonice celebratam revocavimus, ymo per nostram sententiam iudicialiter cassavimus et irritavimus, prout in actis desuper confectis plenius continetur. Perpendentes itaque gravia eidem monasterio sancti Iohannis ipsiusque personis, bonis et rebus dispendia pericula dampna et incommoda ex prefate abbacie diutina vacatione verisimiliter imminere ac dicti monasterii provisionem et ipsius de abbate dispositionem plenariam ad nos iure devoluto et auctoritate nostra ordinaria hac vice rite et legitime spectare, ne premissa incommoda et dampna contingerent, quantum in nobis fuit præcavere